

factum, ut, hanc qui sibi perfectissimam proponunt normam Recentiores, *Racine & Corneille*, tantam sibi adquisiverint gloriam.

Thesis X.

Tragœdiæ quanquam grandis sit proprius stilus, & leves effutire ver-
sus non deceat, Tragicus tamen altos interdum exiit cothurnos & dolore
sublimis illa dictio deprimitur; nam cum actionis imitatio drama sit, omnem
verisimilitudinis perdit speciem, si adfectum calamitate animum ad figuratam
acutamque dictionem advertere spectamus.

Thesis XI.

Inter præcipua carminum genera Ode referenda. In hac omnes suas
delicias, & quotquot ornamenta possidet, Poësis effundit. Distingui tamen
Lyricorum | materiæ carminum merentur. Quibus Bacchus, quibus amores 11
cantantur Odæ, ab illis, quibus prælia & res graves celebrantur, & conceptu
& verbis differunt. Illis *Anacreon*, his *Pindarus* est superior; utrosque non
sine virtute de la Motte imitatus est.

Thesis XII.

Satyra & utilitate & amœnitate omnes fere poematum antecedit
species, nam, cum rigidam averfentur veritatem homines, vanorum inculati
mendaciorum Poetæ, ridendo verum dicere vitiaque digno suis meritis stilo
perstringere consilium cepere. Hunc sibi scopum satyrarum sapientes præfi-
gunt scriptores; famam enim gravium vitæque integritate commendatorum
viro-
rum lædere, calumniatorum est. Stylus Sa- | tyræ sit acutus quidem & 12
amœnus, facilis tamen & perspicuus. Obscura enim dictione vitiorum non
deteguntur latebræ. Requiritur ad concipiendam Satyram Ingenium poli-
tissimum. Misantropi [sic!] enim huic non sufficiunt labori, sed tales, quibus
experientia seculi nostri mores notos reddidit, requiruntur Poëtæ. Persius in
hoc genere obscurus nimis, Juvenalis & Horatius lectu digni. Inter Gallos
Boileau maxime floruit, qui, quicquid continet, Veterum imitationi debet,
quorum religioso strictoque pede vestigia, semper est secutus.

II.

Solutæ Ligatæque Orationis Limites, Annuente Divino Numine,
decreto Amplissimi Senatus, in Academia Regiomontana pro loco Professio-
nis in Poësi Ordinario, solenni disputatione exponit Johannes Valen-
tinus Pietseh, Phil. & Med. Doct. & Poët. Prof. Publ. Ord. Respondente
Jacobo Friderico Danckmeyer, Regiomont. Pruff. horis ante et pomeridianis
Anno MDCCXVIII. Die XXII Februarii. In auditorio majori. Regiomonti,
Typis Reusnerianis.

[Rücks. d. Titelblatts:]

Augustissimo, Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino,
Dn. Friderico Wilhelmo, Regi Borussiae, Marchioni Brandenburgico, S. R. I.